15

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

CATARRHO SUFFOCATIVO, EFFICACI QUODAM REMEDIO TRACTANDO,

Quam

SUB AUSPICIIS SUMMI NUMINIS,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA CONSENSU,

P R Æ S I D E

D. MICHAELE ALBERTI
POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO
MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO
ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,
DOMINO PATRONO, DOCTORE AC PROMOTORE SUO OMNI HONORIS ATQUE OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS
AC PRIVILEGIIS RITE AC DECENTER OBTINENDIS,

HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS

D. SEPTEMBR. MDCCXX.

IN AUDITORIO MAIORI

SUB PUBLICO ERUDITORUM EXAMINE STABILITUM IBIT

AUCTOR ET RESPONDENS

IOAN. CHRISTIANUS ROEMPLERUS
SPROTTAV. SILESIUS.

HAL. MAGD. Litteris JO. CHRIST. HENDELII, Acad. Typ. 1740.



PROOEMIUM.



Quemadmodum clementiæ divinæ egregium eſt momentum, quod tales morbos, qui vel graviſſime adfligunt, vel ad funeſtum plane eventum celeriter properant, *raros* in vita humana eſſe iuſſerit, ita hanc ſuam in mortales benignitatem in eo mirifice auget, quando pro rarioribus hiſce & periculoſis adfectibus ſuperandis tam certa & efficacia paſſim remedia ſuppeditat, quæ in non paucis aliis, licet vilioribus & extra periculum conſtitutis pathematibus, deficiunt. De prioris quidem adſerti veritate, nempe de morborum periculoſorum *infrequentia*, ſi quis dubitare vellet, conſiderandum huic commendaremus, quam rariſſime morbi illi occurrant, qui a *motuum vitalium defectu* originem ſuam ducunt. Certum enim eſt, ex aliquot millibus hominum, non facile unum reperiri, qui per vitæ ſuæ decurſum vera *paralyſi, hemiplexia* vel *apoplexia* fuerit correptus. Noſter adfectus, quem hac

in dissertatione evolvendum suscepimus, videlicet *catarrhus suffocativus* uberius hanc veritatem confirmat. Licet enim accusatio illius inter vulgus satis frequenter audiatur, & quævis fere pectoris mucida repletio hoc nomine ex errore veniat, ipse tamen adfectus, qui ob frequenter funestum sui eventum suffocativus vocatur, mirifice raro vitam humanam infestat. De posterioris autem elogii veritate certiores reddimur, quando historiæ medicæ testimonia & ipsam experientiam practicam consulimus. Quamquam enim multa in talibus angustiis adhuc desiderentur, & certior illa efficacia, quam vulgo iactant, plurimis remediis deficiat, res ipsa tamen loquitur, quod nonnulli periculosi & graves morbi indubiis quasi remediis feliciter possint profligari. Exempli loco nominabimus *rabiem caninam* & *lycanthropiam*, in quibus adfectibus certissimum quasi & infallibile remedium est *hepar*, *cor*, vel *cerebrum* illius, quod momordit, animalis. Periculosæ *sanguinis eruptiones* securis & satis certis remediis sæpius superantur. *Epilepsia*, licet *Herculeus* morbus a quibusdam adpelletur, certius tamen & constantius sæpissime per specifica, quæ prostant, remedia eradicatur, quam triviales rhevmatico-arthritico-spastici adfectus. Plurimus quidem defectus remediorum, re vera efficacium, in illis præcipue rarioribus morbis reperitur, qui *motuum vitalium neglectioni* innituntur, sed tantum abest, ut Deus miseriæ & paupertati nostræ invideat, ut potius dies diei Domini bonitatem, in his quoque necessitudinibus nobis succurrentem, enarret. Testes sumus huius veritatis, & quoniam cum jucunditate animi non semel, sed

sæpius,

ſæpius, obſervavimus, quam egregium, mirificum, & tantum non infallibilem effectum illud remedium per integrum hunc annum præſtiterit, quod in hac diſſertatione adverſus *catarrhum ſuffocativum* inferius commendabitur, operæ pretium fore judicavimus, ſi hanc materiam pro themate inaugurali eligeremus. Faxit autem divina benignitas, cujus benevolo magis nutu, quam inventione humana, remedii hujus efficacia in anguſtiis detecta eſt, ut & aliis ſalutaris ipſius uſus innoteſcat.

§. I.

CATARRHUM SUFFOCATIVUM perluſtrare dum adgredimur, primo ſtatim limine monere æquum ducimus, non ferre inſtituti noſtri rationem, ut ſub ipſius morbi evolutione in majorem, quam par eſt, amplitudinem nos diffundamus. Quemadmodum enim ſcopus noſter primarius eo tendit, ut remedii commendandi efficacia, quam in *catarrho ſuffocativo* exſerit, cum aliis communicetur, ita ſufficere omnino putamus, ſi de ipſo adfectu tantum dicatur, quantum ad ipſius indolis qualemcunque perſpectionem neceſſarium putamus.

§. II.

Catarrhi autem *ſuffocativi* nomine talis venit adfectus, qui motuum vitalium defectui innititur, & paralytodem pulmonum ac thoracis indolem exhibet. Unde copioſa materiæ mucidæ irruptio in veſiculas pulmonales contingit, & patiens ob impotentiam pectus movendi, & circulum ſanguinis hinc impeditum, periculo ſuffocationis exponitur.

§. III.

Ex hac descriptione patescit differentia hujus adfectus ab *asthmate spastico* seu *convulsivo*. In hoc enim nulla remissio motus tonici circa pectus, sed illius notabilis exacerbatio præsto est. Hinc respirandi difficultas non ab impotentia quadam passiva, sed potius ab activa pectoris compressione dependet. Præter ea materiæ mucidæ adfluxus, qui in catarrho suffocativo semper adest, in asthmate spastico non reperitur. Tacemus quod subjectorum diversitas hos adfectus plerumque disjungat, uti enim in sanguineis asthma spasticum, ita in catarrhosis phlegmaticis catarrhus suffocativus ordinarie occurrit.

§. IV.

Sic & a reliquis *asthmaticis anxietatibus* & *pectoris oppletionibus* catarrhus suffocativus debet distingui. Posterior enim uti rarissimus est adfectus, ita priores frequentius in praxi occurrunt, præcipue quando tussis humida per incongrua remedia, in specie per narcotica, in anomaliam deducta est, vel periphericæ excretiones, e. g. scabies, crusta lactea, ulcerosæ fluxiones, retropelluntur. Hæ enim communes quasi & simplices pectoris oppletiones longe minore impetu invadunt, & cum copioso tali adfluxu materiæ mucidæ non conjunctæ sunt, neque tantum suffocationis periculum minantur. Unde confusio illa vulgaris, quæ omnes tales oppletiones, præcipue quando infantili ætati eveniunt, mox pro catarrho suffocativo declarat, evitanda est.

§. V.

Multo facilius catarrhus suffocativus a *chronicis anxietatibus* distingui potest. Hæ enim per paroxysmos communiter patientes infestant, diutius, sed & moderatius,

adfli-

adfligunt, & vel ſcirrhum, vel occultam pulmonum vomicam pro fundamento habent.

§. VI.

Apoplexia ſeroſa multum quidem cognationis habet cum catarrho ſuffocativo; immo hi duo adfectus nonnunquam inter ſe complicantur, ex illis autem ſignis, quæ apoplexiam ſeroſam præcedunt, nempe ex diuturnis, quamquam obtuſis, adfectionibus capitis, rubore & lippitudine oculorum, item ex ſpuma, quæ per os erumpit, diſtingui poteſt a catarrho ſuffocativo.

§. VII.

Verum enim vero hæ differentiarum adnotationes, ne illa quidem, quæ aſthmatis ſpaſtici eſt, exiguam in praxi utilitatem nobis quidem exhibebunt, licet alias ab auctoribus merito inculcentur. Uti enim pulmonum læſiones artis auxilium plerumque adſpernantur, ita remedium illud, quod a nobis infra commendabitur, non ſolum in catarrho ſuffocativo, & aliis pectoris oppletionibus mucidis, verum etiam in ipſis aſthmatico-ſpaſticis adflictionibus, ſiccis quaſi & nulla mucoſa materia ſtipatis, optime ſe commendavit. In apoplexia autem ſeroſa illud probare, occaſio nondum conceſſit.

§. VIII.

Nihilo tamen minus præter ea, quæ jam tacta ſunt, nonnulla de adfectu noſtro ſigna dabimus, ut verior illius diagnoſis tanto magis innoteſcat. Præcedunt nempe communiter adflictiones pectoris catarrhales, ſimplices quidem, difficiles tamen & multo infarctu contumaces. Quæ, quando incongruis mediis tractantur, in periculoſius ſchema facile transmigrant. Non facile autem alii catarrho ſuffocativo infeſtantur, quam qui ſunt catarrhoſi, ſeu, uti

vulgo

vulgo loquuntur, quibus catarrhi a capite ad fauces & pectus delabuntur. Sunt tales præcipue phlegmatico-sanguinei, ſucculenti, qui & paralyticis atque apoplecticis pathematibus præ aliis obnoxii ſunt, ſicciores autem & graciles rariſſime huic adfectui exponuntur, niſi quidem tuſſi pertinaci diu vexati fuerint, vel labes pulmonum ulceroſa conſpiret.

§. IX.

Ex ipſa etiam patientis *ætate* ſignum diagnoſticum ſuppeditatur. Catarrhus enim ſuffocativus non facile alios, quam ſenes, occupat. Quidquid autem in obeſis atque ſucculentis infantibus, poſt achorum inprimis repulſionem, oppletionis occurrit, & ſuffocationis periculum minatur, id gradu longe minore adfligit, & tam præcipiti funeſto eventu raro ſcenam claudit.

§. X.

De reliquo catarrhus ſuffocativus inſultu quodam repentino & impetuoſo ægros invadit, cum reſpiratione ſumme difficili & pectoris plenitudine, ſpumido quaſi ſono conjuncta. Adeſt virium præſentiſſima dejectio, ita ut tuſſim exercere & per illam materiam excernere impotentes ſint patientes. Cum hac corporis debilitate animi abjectio notabiliter utplurimum complicatur.

§. XI.

Nexum ætiologicum ex iis, quæ dicta ſunt, in hunc ordinem colligemus. Vera mali ſedes in capite magis, quam pectore, eſt quærenda. Cauſa materialis repentinæ hujus irruptionis eſt omnino materia quædam mucida in phlegmatico corporis habitu. Pro cauſa *continente* & *proxima* accuſatur quidem juſtiſſime atonia, flaccidus pulmonum marcor, ſeu paralytica adfectio muſculoſarum partium,

tium, quæ respirationem præstare debent, multæ autem circumstantiæ docent, quod hæc tonica relaxatio non sit universalis, uti vulgo creditur, sed spasticæ tensiones conspirent. Et quemadmodum in multis aliis morbis motuum metaschematismus sæpius contingit, & nimia illorum exacerbatio in remissionem transit, ita etiam in nostro adfectu hoc observari potest. Sane in notabili illo casu, quem infra enarrabimus, talia sæpe phænomena adfuerunt, ut, num asthma spasticum vel catarrhus suffocativus accusari debuerit, incertus fueris, nisi quidem generale illud signum diagnosticum, nempe plenitudo seu coctio pectoris cum sono spumido semper adfuerit. De hoc motuum, modo remissorum, modo spasticorum, in hoc adfectu concursu legi potest *Excell. Stahlius dissertatione de adfectibus pectoris pag. 30 seq.*

§. XII.

Causas catarrhi suffocativi *occasionales* & *antecedentes*, passim jam nominavimus, videlicet adfectuum cutaneorum repulsionem & pathematum pectoris perversam tractationem. His addimus rhevmatico-arthriticorum morborum retropulsionem, evacuationum sanguinis adsuetarum omissionem, aërem frigido-humidum & denique ebriositatem. Quamquam autem hæ caussæ non raræ sint, rarus tamen est noster adfectus, & si omnino aliquando contingit, semper tamen manet quæstio, cur præcise hoc die, hac hora, hoc momento flaccescentia illa pulmonum eveniat, & natura pertæsa motus suos in pectore omittat.

§. XIII.

Progredimur ad *prognosin*, quam ipsa morbi denominatio satis jam exprimit. Quando enim impetuoso

huic adfectui tempestivo & congruo auxilio non succurritur, patiens brevi tempore suffocatur. Immo quando annosior est æger, tam repente nonnunquam exspirat, ac si apoplexia e vita ereptus sit. In infantibus autem, uti adfectus est mitior, ita repentinus talis exitus in illis non observatur, sed mors ad unam alteramve hebdomadam ordinarie differtur.

§. XIV.

Quamquam autem catarrhus suffocativus repentinam talem mortem non semper inferat, relinquit tamen insignem patientis debilitatem & valetudinem, ab illo tempore admodum vacillantem, præcipue cachecticam corporis flacciditatem & asthmaticam pectoris laxitatem, cum intercurrentibus paroxysmis asthmatico-spasticis, præcipue quando caussæ externæ accedunt; id quod casus noster, infra enarrandus, uberius confirmabit.

§. XV.

Aliquando transit in febriculam, quæ, quia vagabundæ est indolis, in hecticam utplurimum terminatur, & lentis progressibus ad finem properat.

§. XVI.

Sufficiant hæc pro historica adfectus nostri delineatione dixisse, restat, ut de ipsa *cura* generatim disseramus, & deinde casum nostrum cum remedio enarremus. Si unquam alibi, certe hic periculum est in mora. Hinc opus est, ut *clyster stimulans* revellendi scopo quantocyus applicetur, conjunctis pro eodem scopo *frictionibus*, *ligaturis* vel *sinapismis* in pedibus & manibus. *Vesicatoria*, capiti applicata, præsentanee nonnunquam derivant. Præsente plethora & rubicundo faciei adspectu *venæ sectio* in brachio largior presso pede subjungenda, immo, efflagitante

tante necessitate, est præmittenda. Prostratio enim virium, de qua patiens conqueritur, hic non est reformidanda, & quando imminens ac præceps periculum sublatum est, vires sensim resarciuntur.

§. XVII.

Quando post clysteris usum anxia respiratio non remittit, vitium etiam primarum viarum conspirat, *emesis* excitatur; quo nomine *sal vitrioli* ad drachm. 1. cum largo vehiculo, vel decoctum *rad. asari* laudant. Quando autem infarctus paululum remisit, & patiens liberum aërem respirare potest, ab emetica, tanquam vehemente, commotione abstinendum, & negotium per resolventia, cum tonicis remixta, expediendum est. (In quibus subjectis robur qualecunque naturæ adhuc adest, spontaneus nonnunquam vomitus excitatur.) Hac ratione stasis mucosa discutitur. Laudantur hic præ aliis *essent. pimp. alb. tinctura antimonii tartarisat.* cum spiritu salis armoniaci anis. mixt. conjuncto regimine leniter diaphoretico & subjuncto usu *essent. cascarill.* quæ non solum discutit, sed & demulcentem efficaciam præstat.

§. XVIII.

Quando periculum suffocationis superatum est, tonico-nervinis flaccescentia pulmonum restauratur, quo nomine laudatur *mixtura tonico-nervina Stahlii*, quæ e tinctura salis tartari & spiritu Cornu cervi rectif. proportionate remixta paratur. Usu etiam esse potest tinctura martis *aperitiva Ludovici.* His conjunguntur *analeptica emulsiva* non solum ex aquis diapnoicis sed & analepticis parata, nempe aqua cinnamomi, ceras. nigr. nymph. lilior. convall. &c. & diæta aromatica cum vino generoso conjuncta.

§. XIX.

Quando autem catarrhus ſuffocativus chronicum ſchema inducit, reſolventia & diſcutientia, ſuperius laudata, tanto diutius continuanda ſunt. *Febris* ſucceſſui ſuccurritur per alexipharmacas eſſentias & pulveres antifebriles nitroſo-temperantes; abſtinetur autem a ſalibus volatilibus & catarrhalibus calidis.

§. XX.

Quoad *diætam* monemus, ut catarrhoſi tales moderate aromaticam & vinoſam eligant, circa æquinoctia venæſectiones, ad novum inſultum occupandum, in pede admittant, nimium ſomnum & aërem frigido humidum, non minus autem animi commotiones evitent.

§. XXI.

Hæc ſunt, quæ de catarrhi ſuffocativi indole & generali tractatione præmittere neceſſarium putavimus. Progredimur jam, ut ſcopum noſtrum primarium proſequamur, ad deſcriptionem illius remedii, quod mirificam ſane efficaciam in hoc adfectu præſtat. Eſt autem hoc

Sulphur antimonii auratum ultimæ præcipitationis, cum tartaro vitriolato æquali pondere remixtum, ita ut doſis mixti hujus pulveris XII. grana habeat.

§. XXII.

Noti ſunt diſſenſus auctorum, uti de ſulphuribus antimonii in genere, ita de ſulphure ſic dicto *aurato* in ſpecie; notæ etiam ſunt variæ præparandi hujus ſulphuris deſcriptiones, ſed hæc omnia eam ob cauſſam jam prætermittimus, quia diſſentientes circa hanc rem opiniones nullam lucem adfundent illi veritati, de qua hoc loco dicemus.

Suffi-

Sufficiet indicare ſequentibus, qua ratione ſulphur illud' quod nos adhibuimus, præparatum fuerit.

§. XXIII.

Videlicet reſiduum ſeu ita dictum caput mortuum tincturæ antimonii illius, quæ ex duabus partibus ſalis tartari & una parte antimonii mediante ſpiritu vini rectificatiſſimo paratur, cum ſufficiente aqua coquitur, ſic ſpiritus, qui in reſiduo reſiduus fuit, avolat, aqua autem colore tingitur rubicundo. Quando refrixit hoc lixivium, per chartam bibulam filtratur. Deinde ſulphur a lixivio alcalico ſeparatum per præcipitationem, quæ vel aceto deſtillato, vel, ſecundum *Glauberum*, tartaro aqua calida ſoluto, vel, uti *Ettmüllerus* jubet, ſpiritu vitrioli, vel ipſo quoque ſpiritu ſalis armoniaci, licet non pertineat ad acidorum ordinem, perficitur. Quod primum cadit ſulphur, colore rubro & ſaturato conſpicuum, removetur. Hoc enim, quia craſſius & majore vi emetica præditum eſt, ſcopo noſtro non inſeruit. Illud autem ſulphur, quod poſt remotam craſſiorem portionem cadit, & aureum fere colorem refert, uſibus noſtris reſervatur. Eſt enim priore longe tenerius, & minore efficacia emetica præditum.

§. XXIV.

Huic ſulphuri *aurato* auctores vim ſudoriferam & anodynam communiter adſcribunt. *Ettmüllerus* pro remedio antepileptico laudat, *Glauberus* panaceam illud vocat. Nos hæc elogia ſuo loco relinquemus, & illam tantum efficaciam cum publico communicabimus, quæ multis exemplis nobis confirmata eſt. Inter hæc eminet caſus notabiliſſimus, qui tot prothea phænomena in hunc usque diem oſtendit, ut præcipua ejus momenta hic enarrare digna judicemus.

§. XXV.

Vir ſexaginta, & quod excedit, annorum, habitus corporis ſucculenti & pro ætatis ratione quodam modo flaccidi, vitæ litterariæ atque ita ſedentariæ non mediocriter deditus, per ſedecim annos, quibus *Halæ* vixit, purpura rubra ita adfectus fuit, ut non raro, præcipue autem hyeme & vernali tempore, graviter decumbere debuerit; æſtivi autem menſes, quibus purpura largiter erumpere ſoluit, ſatis tolerabiliter transacti ſunt. Quum vero hunc locum ad tres annos aliquando mutaſſet, liber quidem a purpura vixit, alia autem incommoda, & ſpaſtica quidem, præcipue malum iſchiadicum, experiebatur. Redux in hunc locum de novo incurrebat purpuram, magna cum effloreſcentia conſpicuam, quæ, quam primum aëris frigido-humida temperies vel quæcunque alia cauſſa occaſionalis admittebatur, retrocedebat, & dolores acerbiſſimos, arthritico-ſpaſticos in coxa, oſſe ſacro & denique etiam in pede producebat. Ante duos autem annos loco purpuræ exanthemata quædam ulceroſa in nucha & circa tempora erumpebant, atque ſerum acre largiter plorabant, poſt feſtum autem Michaelis, cum aër frigidus eſſet, retrocedebant, & quidem ſine conſpicuo hoc tempore damno. Sed uti alternæ ſunt vices rerum, ita ſequente anno longe alia facies obferebatur. Quum enim ulceroſa illa eruptio circa caput ſub initium æſtatis recurreret, & præter omnem exſpectationem repente ceſſaret, paucis poſt diebus multi furunculi, partim majores, partim minores, cum primis in fronte & circa nucham, denique etiam in pectore erumpebant; cumque duodecimo menſis Auguſti die Patiens in frigido aëre ad nonam usque veſpertinam ambulaſſet, omnes furunculi, qui dolore non leviter inflammato-

matorio erant conſtipati, uno quaſi momento evaneſcebant. Viceſimo ſecundo ejusdem menſis die Patiens media nocte evigilabat, inſultu catarrhali impetuoſo, reſpiratione difficillima, plenitudine pectoris rhonchiſſante, repentina virium dejectione, &, ut duobus verbis dicamus, catarrho ſuffocativo corripiebatur. Vocabatur mox in ſubſidium Medicus, qui clyſterem ſtimulantem, non ſine levamine, ordinabat. Præter enim alvinas dejectiones multa materia mucoſa per vomitum ſpontaneum ejiciebatur. Quoniam autem per haſce excretiones non omne periculum auferebatur, ſed anxia & difficillima reſpiratio cum rhonchiſſante pectoris ſono adfligere continuabat, venæ ſectio in pede, cui Patiens adſuetus, inſtituebatur, quæ impetum ita mitigabat, ut quod reliquum erat, diſcutientibus & tonico - nervinis ſucceſſive ſuperaretur. Die ſeptimo ſeptembris idem adfectus eadem hora & iisdem omnino circumſtantiis recurrebat, iisdem etiam remediis, excepta venæſectione, profligabatur. Hæc ſcena intra quinque menſium ſpatium ſæpius ludebatur, & in tantam mentis anxietatem Patientem conjiciebat, ut ante invaſionis horam, quæ erat duodecima mediæ noctis, lectum petere nunquam auderet, ſed in ſella tam diu ſe continere cogeretur donec tempus formidinis præterlapſum eſſet. Quando autem tempore ordinario nempe decima vel undecima lectum petere aliquando valebat, mox ſentiebatur pulſus frequentiſſimus & celerrimus, cum ſumma anguſtia & palpitatione cordis, ita ut diſcedere vel ſurgere a lecto cogeretur, niſi alterum motuum extremum, nempe catarrhum ſuffocativum, confirmante aliquoties eventu, exſpectare vellet. Huic miſeriæ quomodo ſuccurrendum eſſet, Medicus diu non videbat, licet multa remedia, quæ

huic

huic adfectui passim destinantur, adhibuisset. Tandem recordabatur illius, quod sulphur antimonii auratum ad catarrhos suspendendos a nonnullis commendetur. Unde in animum sumebat, in suffocativo quoque, tanquam omnium catarrhorum atrocissimo, hoc remedium probare, & quemadmodum tenerrimam illam partem, quæ ultimæ est præcipitationis, atque minorem vim emeticam possidet, eligebat, ita additione tartari vitriolati quantamcunque illius vehementiam infringere judicabat. Quæ sane res tam feliciter successit, ut paroxysmus, qui innumeris fere vicibus insultum fecit, ordinarie per unicam hujus remedii dosin in momento quasi superatus sit, & Patiens sub initium hujus anni consueto tempore lectum intrare potuerit. Prima dosis, quæ propinabatur, lenem vomitum cum materiæ mucidæ excretione producebat, postea ne vestigium quidem emeseos observatum fuit, licet plures quam quinquaginta doses a Patiente adsumtæ sint, quæ omnes placantem tantum & mirifice sedantem efficaciam exseruerunt. Quam primum enim adfectus impetum minatur, id quod in hunc usque diem facere solet, Patiens de pulvere suo, quem semper ad manum habet, mox dosin adsumit, & quoties hoc facit, toties paroxysmus impeditur, ita ut scenam suam ludere non possit. Quum vero aliquoties, mussitante adfectu, ob qualiacunque impedimenta, pulverem sumere non posset, paroxysmus tam diu graviter adfligebat, donec propinaretur pulvis, quo tam cito & constanter superatus fuit, ut Patiens divinum medicamen adpellare illum consueverit, & numquam nisi grato in Deum animo de illo loquatur. Non solus autem paroxysmi impetus per hoc remedium constanti effectu repulsus est, sed & purpura rubra post lar-

gissimos

gissimos sudores, qui media nocte, qua adfectus alias insultare solebat, incipiebant, præterito vernali tempore primum iterum erumpebat, sed, quia diu non subsistebat, euphoria, quæ hanc eruptionem sequebatur, mox post retrocessionem evanescebat. Dominica die, quam *Jubilate* vocamus, paroxysmus inconsueto tempore recurrebat, nempe post prandium, ita ut circa quartam horam in maximo esset vigore. Hujus impetum quidem prima pulveris dosis mitigabat, non autem, uti alias, prorsus auferebat. Coctio enim in pectore rhonchissans cum reliquis angustiis & palpitatione cordis continuabat. Hinc altera dosis circa horam septimam exhibebatur, & tertia post mediam noctem, cui adflictio prorsus cedebat. Mense Julio, postquam purpura Majo retrocesserat, ulcerosa illa circa nucham manatio, a cujus retrocessione catarrhus suffocativus primam originem duxerat, recurrebat, quoniam autem hæ pustulæ diu non fluebant, spes plenariæ liberationis, quam hæc eruptio faciebat, eventu quidem nondum confirmata est, ita tamen sublevatus vivit Patiens, ut aliquot subinde hebdomadæ sine incommodis transeant. Ultimus paroxysmus, qui recursum minabatur, annum accurate claudebat, ita ut non solum eodem die & eadem hora, sed & iisdem prorsus momentis, quibus hic adfectus primum emicuerat, mussitaret. Unica autem pulveris nostri dosis, uti Patiens cum animi jucunditate enarravit, profligavit tales minas mirifica celeritate.

§. XXIV.

Conspicua hæc hujus remedii efficacia, quam per multi in hunc usque diem mirantur, Medico, cujus laboribus practicis per tres, & quod excedit, annos interfui,

ansam præbebat, ut pluribus tentaminibus illud subjiceret. Adhibebatur autem primum in aliis catarrhalibus mucidis in pectore angustiis, præcipue in quam multis infantilibus ejusmodi oppletivis morbis, in quibus omnibus eundem felicem effectum exserebat. Prima dosis, quæ propinabatur, emesin æque ac in supra dicto exemplo, communiter excitabat, reliquæ autem doses, quas pro circumstantiarum ratione post unius & duorum dierum intervallum exhibebamus, efficaciam modo lenem catarcticam, modo diaphoreticam, modo paregoricam ostendebant, ita ut verum esse deprehenderimus, quæ Dn PRÆSES *in Introductione sua medica* & quidem in parte *Materiam Medicam* sistente *pag. 180.* de sulphuris antimonii effectu diverso, nempe jam discutiente, jam colliquante, jam anodyno, jam emetico & catarctico scripsit.

§. XXV.

Anodyna efficacia, quæ in remedio nostro tam constans & secura deprehendebatur, animum firmabat, ut ulterius progredi atque etiam in talibus pectoris adfectibus, in quibus alterum extremum, nempe motuum exacerbatio, & activæ pressiones potissimum occurrit, illud propinare nullus dubitaverimus. Et tantum abest, ut hujus tentaminis nos pœniteat, ut cum gaudio potius adseverare possimus, quod exoptatissimos, &, ut ita loquamur, methodicos effectus in tussi sicca & asthmate sicco observaverimus.

§. XXVI.

Immo asthma vere spasticum, cui, præter venæ sectionem, multa remedia sine effectu opposueramus, quatuor

tuor circiter hujus remedii dosibus, quotidie repetitis, feliciter profligavimus, & cum idem adfectus post trimestre spatium in hoc patiente recurreret, eodem remedio brevi iterum superabatur. Atque in hoc subjecto nulla emesis, a prima dosi, nedum sequentibus, excitabatur; id quod ulteriori pensitatione & applicatione dignissimum esse judicamus.

§. XXVII.

Hoc phænomenon erat nobis admodum jucundum, præcipue quia sollicitudinem illam sublevare potest, quam circumspecti Practici in discretione catarrhi suffocativi ab asthmate spastico adhibendam omni jure inculcant. Quoniam enim utrisque motuum extremis hoc remedium par esse deprehenditur, non opus est, ut in repentinis talibus adfectibus multum inquiramus, num vel toni relaxatio, vel spastica illius intensio, vel status mixtus & complicatus in hoc vel illo casu peccet. Præter ea, quia mora in hisce præcipitibus morbis periculum adfert, & tempus non concedit, ut vel in tono roborando, vel spasmis demulcendis multum occupati simus, merito de tali remedio gaudemus, quod utrique scopo satis facit, difficillimam respirationem solvit, anxietates tollit, & partibus violatis usum suum restaurat.

§. XXVIII.

Tandem etiam consentaneum duximus, ut remedii nostri efficaciam exploraremus in talibus pathematibus, quæ cum superius dictis quoad caussas quidem primarias conveniunt, in aliis autem, quam pectoris, regionibus reperiuntur: Præcipue opposuimus illud capitis catarrho-

ſis & reliquis congeſtoriis adfectibus in quibus itidem exoptatos effectus exhibuit. Non ſolum coryzæ & gravedinis incommoda, ſed & impetuoſam cephalalgiam aliquoties profligavit.

§. XXIX.

Hæc ſunt, quæ de egregiis remedii noſtri effectibus in hac diſſertatione inaugurali cum aliis communicare in animum ſumſimus, & quoniam ſperamus, ſolertes Practicos hoc remedium ulterioribus examinibus ſubjecturos, atque ſimiles ſalutares effectus in illo experturos eſſe, vota noſtra ſunt, ut in publicum uſum omnia convertantur. DEO autem T. O. M. gratum animum humillime exhibemus, pro ſua in mortales benignitate.

FINIS.



Dum



DVm MODERANS medium, CARISSIME, iungis ACERBO,
Sulphuris impulſus corrigis immodicos.
Corporis vnde Tibi medicamen dulce reſultat,
Atroces morbos quo ſuperare potes.
Quæ ſunt INFERIVS referunt in imagine SVMMA:
Nempe Deus parili nos medicatur ope.
FORTIA non dare ſola ſolet, neque LENIA ſola:
MISTA ſed ægrotis porrigit iſta ſimul.
ASPERA proſternunt hominem, ſed MITIA ſola
Non abigunt noxæ ſemina cruda pigræ.
Sic vbi commixtæ vires, fit grata medela;
Quæque ferit VEHEMENS pectora, DVLCE leuat.
Tu quoque, qui meritos recipis Doctoris honores,
IVSTITIAM iungas cum BONITATE Dei. *
Illa facit, mundum nolis vt amare caducum;
Hæc, vt ames Dominum mente flagrante tuum.
Inde, quod a morbo mentem Tibi ſeruat acerbo,
Et, quod ab atroci morte tuetur, habes.

* Ad Romanos Cap. XI. v. 22.

Hæc gratulabundus adjecit
D. IO. IVNCKER,
Med. Pract. Orphan Halenſ.

PAeoniam multis extollunt laudibus artem,
Qui ſtatuunt precium rite cuique ſuum,
Contemnunt alii, queis res bona nulla videtur,
Quam non ingenio perdidicere ſuo.
Non ſolidam dicunt, falſam, incertamque, vagamque,
Nec ſatis immoto plurima ſtare pede:

Tum quoque diuersis semper diuersa placere,
Incertumque, cui iam sit habenda fides.
Sed tamen insigni manet ars dignissima laude,
Illam si studio, si ratione colas.
Tu certe, ROEMPLERIADVM præclara propago,
Tu fratris caussa sanguine iuncte mihi,
Præcipue laudes multas magnasque mereris,
Ingens illius quem tenet artis amor.
Omnis erat nostra peritura scientia stirpe:
Tu solas magna laude reducis eam.
Ter nunc viginti vixi & bis quinque per annos,
Hic bona permultis mixta fuere malis.
Iamque senem, quem vix possunt humana mouere,
Artibus, hoc recreat, te studisse bonis.
Quodque simul summum sis denique adeptus honorem.
Pallade nunc laurum suppeditante tibi.
Gratulor & sincera meo de pectore vota
Fundo: Tuis cœptis numen adesse velit.

Animum mentemque beneuolam erga Patruelem æstumatissimum paucis his testari voluit

SAM. ROEMPLERVS,
ICTVS.

WAs ist der Bau der Welt? Ein Lazareth, ein Krancken-Haus,
Heut räumet hie der Todt, dort trägt er morgen aus:
Und wenn der Mensch sich gleich aufs niedlichste gepfleget;
So wird der morsche Leib dennoch ins Grab geleget.
Der Bund ist Sterblichen einmal gesetzt,
Und dauret, weil wir dauren, unverletzt.
Zwar hat der höchste Artzt noch Mittel anvertraut,
Wodurch man dieses Haus ein Weilchen flickt und baut:
Jedoch,

Jedoch, wie lange währts? eh wir es uns versehen,
So ist bey einem Sturm der gantze Fall geschehen.
Wie gut ists denn, wo Glaub und Hoffnung lebt,
Womit der Geist sich Himmel-wärts erhebt.

Er stellt, Herr Vetter, sich, hier selbst zum Zeugen dar:
Weil er vor kurtzer Zeit, mehr todt als lebend war,
Und welch ein Haus der Mensch, bey seinen schönsten Jahren,
Welch ein zerbrechlich Haus durch eigne Prob erfahren.
Diß Leben ist ein schwach und zartes Licht,
Wenn nur ein Lüfftlein rauscht, so bleibt es nicht.

Doch legte Ihm der HERR diß nicht vergeblich bey:
Nun weiß Er an sich selbst, wie denen Krancken sey,
Und wird sie so vielmehr mit Lieb und Sanftmuth tragen;
Wenn sie bald über dis, bald über jenes klagen;
Wenns bald im Kopff, bald in den Füssen steckt,
Wenn diß zu süß und das zu bitter schmeckt.

Die Würde, so er trägt, bringt nun die Bürde mit,
Daß Er durch manchen Gang, durch manchen sauren Tritt,
Bey Tag und auch bey Nacht, für Krancke treulich wache,
Und sich aus solcher Last, mehr Lust als Unlust mache.
Wenn offt der Artzt nicht allzu lang geharrt,
Wär mancher nicht so bald ins Grab gescharrt.

Jedoch Sein muntrer Fleiß verstatt't dieses nicht,
Der mehr mit treuer That, als vielen Worten spricht.
Ich weiß, der höchste Artzt wird auch viel tausend Segen
Und selbst gewünschtes Glück auf Sein Bemühen legen,
So, daß wir noch die Früchte selber sehn,
Die hier und dort von seinem Fleiß entstehn.

Hiermit wolte seinem Werthgeschätz-
ten Herrn Vetter zur Doctor-Wür-
de gratuliren

Gottfried John, P. R. M. O.

Qui

QUi faciem mortis præbebas nuper AMICE,
Ereptus mira iam bonitate Dei:
Dulcia quo poſſis miſeris ſolatia ferre,
Expertus morbum corporis ipſe gravem
Jam dignus ſcandis majorum more cathedram;
Multum, quod profers, utilitatis habet.
Gratulor hoc cœptum, laurum quoque gratulor iſtam,
Dexteritas dudum qua tua digna fuit.
Adſit Jova TIBI medicamina cuncta ſecundans,
Quæ tua debilibus cunque datura manus.

Sinceræ amicitiæ ergo gratulabundus ſcripſit
HENR. BECKER,
Med. Cult.

CUm jam Doctoris titulo Te Muſa ſalutat,
Quem Te, quis neſcit, jam meruiſſe diu?
Non poſſum Tibimet quin pectore gratuler imo:
Qua jam jam flores, floreat usque ſalus.
Ex Medicis Summus det, quæ Medicina paratur,
Ut talem præſtet, quam cupit æger opem.

Hiſce applaudere voluit Honoribus bene promeritis Experientiſſimi, Nobiliſſimique Dn, Candidati
C. M. WIEGAND,
Med. Stud.

